

utiq; patri erit æqualis juxta demonstrationem **C H R I-**  
**S T I** Joh. 5. Si non essentialiter, secundum utramq; na-  
turam patri erit inæqualis. Vtrumque *ἀτοπὸν ἀτοπώ-*  
*τετων.*

130. Quibus demonstratis, duo relinquuntur: aut  
**C H R I S T U M** omnem potestatem illam accepisse ab æ-  
terno secundum divinam naturam, aut in tempore se-  
cundum humanam naturam.

131. Primum quoq; negatur per præcedentia: Ab æ-  
terno enim, quemadmodum vita, essentiaq; data, ita  
etiam omnipotentia propter patrem, ut nimirum &  
filius ita in se habeat vitam, atque eam in se habet pa-  
ter.

132. Adde, quòd absurdissimum foret adserere, se-  
cundum divinam naturam **C H R I S T O** ab æterno da-  
tam esse omnipotentiam: divina enim natura omni-  
potentiam in se essentialiter continet, imò est ipsa ef-  
fentia divinæ naturæ. Idem itaq; esset ac si quis ita ine-  
ptiret, omnipotentiam datam esse omnipotentia.

133. Porro si omnipotentia ratione officii ab æter-  
no data intelligatur de divinâ naturâ, tum datio illa  
aut erit essentialis, aut non essentialis.

134. Essentialis datio esse nequit, quippe quæ per  
generationem æternam facta est, & illa ipsa est, per  
quam filius ita in semetipso habet vitam, ut pater: Er-  
go non essentialis erit hæc datio, hoc est, accidentalis.  
Ergo ratione officii **C H R I S T I** divina natura per acci-  
dens est omnipotens, & non essentialiter: Absurdif-  
simum.

4. Non est  
reddita. 135. Excipit: Data, id est, reddita. Ex Charybdi  
in Scyllam incidit. En nos contra ita adversarium con-  
stringimus: Quodcumq; quis non amisit, illud non  
potest ei reddi. Atqui divina **C H R I S T I** natura nun-  
quam